

## VERSION LATINE

### Déloyautés en série

*Après avoir franchi le Rubicon, César, qui avance rapidement dans le Picénum, assiège la ville de Corfinium, où Domitius a rassemblé de nombreuses cohortes. Ce dernier a envoyé des messagers à Pompée pour lui demander du secours. Pendant ce temps, César établit deux camps de part et d'autre de la ville.*

Reliquis diebus oppidum uallo castellisq[ue] circumuenire instituit<sup>1</sup>. Cuius operis maxima parte effecta, eodem fere tempore missi ad Pompeium reuertuntur. Litteris perlectis, Domitius dissimulans in consilio pronuntiat Pompeium celeriter subsidio uenturum, hortaturq[ue] eos ne animo deficiant, quaeq[ue] usui ad defendendum oppidum sint parent. Ipse arcano cum paucis familiaribus suis conloquitur consiliumq[ue] fugae capere constituit. Cum uoltus Domitii cum oratione non consentiret atq[ue] omnia trepidantius timidiusq[ue] ageret quam superioribus diebus consuisset<sup>2</sup>, multumq[ue] cum suis consiliandi causa secreto praeter consuetudinem conloqueretur, concilia conuentusq[ue] hominum fugeret, res diutius tegi dissimulariq[ue] non potuit. Pompeius enim rescripserat sese rem in summum periculum deducturum non esse, neq[ue] suo consilio aut uoluntate Domitium se in oppidum Corfinium contulisse : proinde, siqua fuisset facultas, ad se cum omnibus copiis ueniret. Id ne fieri posset obsidione atq[ue] oppidi circummunitione fiebat. Diulgato Domitii consilio, milites qui erant Corfinii primo uespere secessionem faciunt atq[ue] ita inter se per tribunos militum centurionesq[ue] atq[ue] honestissimos sui generis conloquuntur : obsideri se a Caesare ; opera munitionesq[ue] prope esse perfectas ; ducem suum Domitium, cuius spe atq[ue] fiducia permanserint, proiectis omnibus fugae consilium capere ; debere se suae salutis rationem habere.

CESAR

---

<sup>1</sup> Le sujet d'*instituit* est César.

<sup>2</sup> *consuisset* = *consueuisset*.